

הנהגה  
Introductio.

**N**adituris Causas Corporis Naturalis  
*in specie*; internas, quæ corporis essen-  
tiam ingrediuntur, præmittere animus est.  
Harum verò cum duæ sint, **Materia & For-  
ma**; **Materiam** tradere primo loco con-  
stituimus, observaturi adeò ordinem non dignitatis, sic enim  
præmittenda esset Forma Materiæ, sed doctrinæ, quæ cum pri-  
mis in disciplinis observari asolet. Namq; non parum facit  
ad cognitionem Formæ doctrina de Materiâ quin imò, juxta  
*Keckermannum l.1. Syst. Phys. c.5.* Nisi Materia corporum ex-  
tenderetur ad Formam commodè recipiendam, nullam planè  
virtutem posset corpus naturale exercere, atq; adeò nullum  
aliud accidens in se recipere. Quocirca sit Bono cum DEO.

SECTIO PRIMA,

*Hujusq;*

Caput Primum

*Explicans*

Definitionem Materiæ

*quæ est*

Materia est causa interna, ex quâ cor-  
pus naturale constituitur.

§. 1. Vox Materiæ sumitur h. l. non subjectivè, pro Ma-  
teria in quâ, sicut anima dicitur Materia in quâ vel subjectum  
facultatum, Substantia accidentium: non objectivè, pro Ma-  
teria circa quam, quemadmodum disciplinæ ac scientiæ quæ-  
cunq; sua habent objecta; sed constitutivè pro materia, ex  
qua res constituitur, & id vicissim non Metaphysicè pro causâ